VENETÆ VIRTVTIS IN FORTISSIMA CRETÆ PROPVGNATIONE Triumphus.

Panegyris habita

A R.P. FELICE DONATO C. R. S. Publico in Diui Marci Athæneo Oratore.



VENETIIS, Typis Francisci Vauasensis 1667.

Superiorum Permissu.

VENETÆ VIRTVTIS IN FORTISSIMA CRETÆ PROPVGNATIONE Triumphus.

Panegyris habita

A R. P. FELICE DONATO C. R. S. Publico in Divi Marci Athenæo Oratore.



VENETIIS, Typis Francisci Vaulcensis 1669.

Illustriss. atq; Excellentiss. D.D.

ANDREÆ CONTARENO Eq; & D. M. Pr.

NICOLAO SAGREDO Eq; & D. M. Pr.

ANGELO CORRARIO Eq; & D. M. Pr.

Patauini Studij Moderatoribus

Felix Donatus Felicitatem.





Reta vrbibus olim inclyta centum, immani Turcarum oppugnatione hactenus vexata deditur vobis P. P. Excellentissimi. Non tam fortissimis Imperatoribus, qui eius custodiæ strenuissime aduigilarunt, quam vobis vsq. adhuc victoriam acceptam refert. Siquidem elegistis Heroas, sine quibus stare tandiu non poterat. O rem maximam inuicem præstitistis! Vos suendum regnum dedistis tantis vtribus concus-

sum, illi reddiderunt, Diu noctuq. sollicitiores illi, vos securiores facti estis. Illi amplissimum honorem vestro beneficio consecuti sunt, vos accepistis. Illi susceperunt maris Imperium eo tempore, quo fortasse quemquam alium suscepti pænituisset. Illi armata, Vos Trabeata Pallade pugnastis. Ergo cum ipsi exceperint a vobis, & reddiderint splendorem, iure tàntum vrbis vt Ioui dilecta, ita & vobis sisto decus. Decus hoc vnum est, quod posteri credent quidquid prius à Venetorum gloria gestum est. Credent vos muneribus Reipublicæ præclarioribus præfuisse lingua, & consilio, quod hostes magis, quàm arma reformidant. Et sane quid arduum quod non expugnetis? quid sublime, quod non ascendatis? quid maximum quod non teneatis? & quod mirum sæpe facilitate magis quàm labore. Triumphum de omnibus, & præsertim de vobis adornatis, cum nulla maior victoria sit, quàm se ipsum vincere. Non enim vltima laus est quod vos eximios inter Reipublicæ honores constituti par Veneto Imperio ingenium habentes, non intumescitis. Vos magni sapientis gloriam augetis. Vos litterarum honorem indulgentiâ cumulatis. Vos legatos Venetos vestris legationibus decoratis. Romã subibis Andrea Contarene Orator extra Ordinem dictus gratulationis officio ad Clementē Nonũ Pontificē Maximũ: sicut Paucis ab hinc annis obuiam Leopoldo Imperatori frequētissimi senatus suffragijs delectus Legatus, ipsũ allicere potuisti in amorē tui, ita in præsentia dabis Romæ, quæ amet tuam Aquilam intueri, quam in stemmate præfers, suorum præstantissimorum hominum memoriam renouantem. Adibis & tu consors Nicolae Sagrede, vt habuisti alijs in-

legationibus, quas meritorũ calculo consecutus es; Alexandrum Pontificem tuæ veræ virtutis admiratorem, ita & Clementem habebis, cui iam diu eximiæ tui animi dotes patent. Cursum in Romano cælo veluti Sol peregisti, alterum eàdem gratiâ, sed breuiorem tua claritas illustrabit. Proh quis splendor perstringet oculos Romanorum à tantis viris emissus! Gestiet lætitia Roma cum lumina conijciet in Baptistam Nanium eq. ac D. Marci Procur. quem vidit tanta maturitate adhuc iuuenem omnia tractare, vt annos leues sub prudentiæ pondere esse conspexerit. Vnà cũ patre ipsum admirata est factum esse filium grauitatis. Iterum Petrum Basadonnam equitem, ac Diui Marci Procuratorem caput orbis sibi similem vt hilari corde intuebitur! Meminerit, quod ipse asperas Alex. VII. curas verentis ne GALLVS eliceret lacrymas Petro, quas emergentium rerum necessitate suscepit, suaui sermonis vi deliniuit; Te Angele Corrari lato clauo spectabilis hic te detinuit Respub. quò ardua negotia ad felicem exitum perduceres. Noluit tot luminibus destitui. Noluit ab omni purpura sapientiore Veneti maris gratulationis, & pietatis causa Tiberim adorari. Sed vnde incæpi desinam, Creta ad cuius propugnationem communia omnium bonorum tum singulorum affectus, publica sapientissimi Senatus consulta, sacrorum augusta solemnia referuntur Barbarorum manibus erepta, venit in vestras manus! Patauini studij Moderatores amplissimi, quippe qui raro consilio, Hanc sustinuistis. Excipite qua soletis benignitate, quod meũ perenne erga vos obsequium præstat. Pretiosa plane materia est, quæ tamen longe superat opus: hæc mihi tamen detur venia,

quòd IN AVRO CAELANDO PAVCI EXCELLVERE. *Nemo quidem auream detrectat imaginem, quamquam ab imperito artifice parum ingeniosè elaborata sit. Valete.*

Plin.

Ne-



Escio, quonam fato, AVGVSTISSIMI PATRES, Imperia, *vt cæterra, ex infimis orta*, siue peculiari numinum indulgentia, siue temporis beneficio, quod alia diruit, condit alia, siue loci natura, siue militum robore, siue Regnantium consilio ad inuidiam vsque perducta, aut exterarum gentium impetu, aut ciuium insidijs, aut eorumdem aperto Marte, quò in alienam ditionem veniant, nihilque mortale sub eàdem Regum progenie ęternum fiat, sępissimè nullo nisi armorum habito iure appeti videantur. An regnorum securitati obstant opes, quæ veluti magnes ferrum de more trahunt? *Liu. l.1.*

Si qua foret tellus, quæ fuluum mitteret aurum, *Petron.*
Hostis erat.

An fertilitas, quę vt sua nuci nocet, ità illis?

Fructus obest, peperisse nocet, nocet esse feracem; *Ouid.*
Quæque fuit multis, est mihi præda malo.

An rerum magnitudo, quæ nescit modum? summa etenim regna cum amplitudine laborent, ni mole ruant sua, conditione malignitatis humanæ, quę ægris oculis alienam videt felicitatem, hostili impetuntur ferocitate. An sicuti natura discordià elementorum sui temperat harmoniam, ita suos numeros humana componunt armorum dissidio? Hæc, & huiusmodi esse planè crediderim. Dummodo in spem animum erigat Pellæus Iuuenis fo-

re se totius orbis Imperatorem Gordianum nodum, ni soluat, stricto ferro abscindit: Vnionem quoquomodo disrumpuntPrincipes impotenti acti libidine dominandi, suosque limites protendendi diuidunt coronam, quæ arcus erit, indeque capiunt omen sibi ergendi arcus triumphales. Ergone beatissimi Augusti secula redibunt nunquam, quibus in belligeri Iani templum nullus aditus pateat?

Hora. satij. lib. 1. *Postquam discordia soluit*
Ferratos belli postes, portasque refregit.

Nunquam post tot armorum torrentem, veriùs diluuium, roscida nubes in signum fœderis Iride colorabitur? Nunquam olei fontes erumpent, sed cruenti maria, & terras vbique inficientes? Nunquam feralis Alcidis claua tot palmarum insitionibus triumphalis, vt olim, in oleam egerminabit? Quousque tandem Odrysios impelles equos, debacchaberis Mars? Quousque per strepet armorum sonitus, Bellona quassabit hastem, inter prospera ducent principes alienas calamitates, extinctum supra caput gloriæ sibi erigent Capitolium? Quousque Imperator Orientis Barbarorum omnium sæuissime nouam Lucem offundens tuas inter Veneris delicias furorem, ac tela meditaberis? Videor mihi videre te meditatem animo, non virgà, vt Tarquinius in horto alta papauerum capita decutere, sed Lilia, quæ florent eximia, & inconcussa in nostri optimi PRINCIPIS stemmate, quibus

spe-

ſpectabiles inter flores excelſitas eſt, barbaro ferro obtruncare? Quouſque Cretam *non leuem ven-tum populis metum* oppugnabis, inuades? An donec impius quàm par eſt latius dominandi furor accenſas aget mortalium mentes bellorum incendijs ardebit tellus? In te Veneta virtus, in te ſupra humanam fidem conferet peſtem, quam tu in ipſam tamdiu machinaris. Ne immemor ſis, Cretam olim extitiſſe Iouis Regiam, nunc tot Ioues tenere, quot Imperantium capita, è quibus armata Pallas, (hoc eſt ſapientiſſima conſilia) clypeo ſumpto proſilit aſpectu contenta ſuo, ſenties te inde Atlantis ad inſtar lethali viſu dureſcere. Illi te Gigantem immanem proſternent. Quare illinc, donec, licet, abi, excede, erumpe, euade. An fugam ſiſtas. Prope eſt, vt exclamem, ſiſtas: SAEPE enim aduerſa ſecunda gignunt, quæ primas Regibus auſpicantur. Poſt belli turbines gratior ſerenitas renidet. OCCVLTAT proſperę, & aduerſę ſortis ſemina Deus, & plerumque bonorum, malorumque cauſæ ſub diuerſa ſpecie latent. Voluere fata à Creta Barbarum audiri, non ſentiri arma, & non Curetum ſtrepitus ab ea (vt olim ab Ioue in cunabulis) ſed totius orbis plauſus adultà excipi glorià. Permiſerunt fata contra ius Gentium infeſta ſigna inferre humani, diuinique fœderis ruptorem, vt victus doceret diuinam planè eſſe Venetorum virtutem. Voluere, truculentum illum Minotaurum Creticum labyrinthum ingredi, vt inde intelligeret,

Plin.

Sen. Trag.

 quò

quò propius accederet ad exitum victoriæ, eò maiori interuallo abesse. Veneti verò gloriâ nunquam interiturâ sicuti Deo proximiores, sunt eò magis absunt à periculo vt vincantur. Quidni dicam.

Luc.lib.1. Phars *Scelus omne nefasque*
Hac mercede placent, magnoque æterna parantur.
Regna Deis.

Hoc tantùm fortasse deerat ad cumulum Venetæ celsitudinis, vt sciret Orbis, Othomanici Imperij vires, quas ipse retardare non potuit, Veneta attritas virtute, & ab eius faucibus ereptum regnum, quod vel suas inter Cupressus auspicor triumphale. Non erit abs re vel in hoc Musarum Athęneo colentium pacem me Oratorem de bello agere, an de triumpho? Non me præterit eruditâ Pisicratis manu elaborata Martis, & Mercurij numina, quę Plin. *simul sunt in Cōcordiæ templo Romæ*, quidni, & Venetijs?

Ad Vrbis validissimum propugnaculum, terroremque ciuium rebelli ceruice seruitutis iugum excutere meditantium, vel a prouida natura, vel ab arte sapienter exstructa munimenta, post Bellica tormenta patenti ore flammas fulminum instar cum horrendo fragore eluctantes, ferreos globos, catenasque contorquentia, Fuere inuenta, vt noua subinde mortis instrumenta quærerentur, & strenuissimorum Imperatorum ardores perirent, cùm ab ignauissimo quoque extingui possint (quid quid rigidus Spartanæ Reipublicæ legum lator senserit, qui

ad

ad retardandum hostium furorem, & impetum nuda tantùm ciuium pectora, tunc fortasse quouis obiectu firmiora, opposuit, ea inquam munimenta, ita coniuncta videntur lapidum serie, magnitudine, firmitate, altitudine spectabilia, ductis ad ipsa Geometrià figuris condita ad æternitatem, vt inde ne Mars quidem sua cum Venere inclusus ad fugam suis armis sibi aditum strueret; cùm enim excelsarum de more turrium quamquam ipsis penè dixerim nubibus inserant caput, & pluuiali ab Austro, Borreæque furore vapulent, imminentes tamen armorum cōcussus, bellorumq; procellas depellunt, infirmus ipse Iuppiter est, qui Alpes fulmine quatit, & Rhodopeia culmina quassat, vt ea diruat, nisi aurum sit, nisi *conuersus sit Deus in pretium* (Proh Hor. aurum! per medios armatorum cuneos irrumpis, saxa prosternis ictu fulmineo potentius) cùmque tradantur Danae, hoc est imbelli viro, vt vitijs, ita diuitijs, auroque corrupto, nequeunt custodiri. Obsidioni resistant, aggressores proturbent, cuniculos non pertimescant, sint inaccessa armatis, sit moles portæ præstructa, propugnaculum paulùm à mænibus abiunctum: sit murus à summo leuiter inflexus: fossæ pars menibus aduersa: imæ cryptę ad propugnaculorum latera: sit semilunare munimentum: rostrum propugnaculi: perfugia secundaria: sit locus humo congestitia firmatus, asellus est tardè gradiens auro onustus, qui possit penetrare? tamquam sacra veheret myste-

ria

ria ad tanti Numinis aduentum, cui nemo adeò profanus est, vt vota ex animo non soluat, saxa ipsa plana fiunt, angusta semita, lata, imperuia, facilis aditu, quodque bellica fulmina, Aquilę, Leones vix præstare queunt, iumentum auro pressum iam tenet. Saxo Tarpeio armillarum in sinistra Sabinorum nitentium auida præsidet mulier, cuius genus auarissimum est, ignorans quod qui benè agunt inscij diuitias parant? Arcem occupant hostes, fœdus ictum seruant, dant pretiosa, sed vt proditionem ipsis inimicis inuisam vlciscantur, & scuta donant (alioquin opportuna ad tuēdam vitam,) quibus obruta satis, superq. implens mulierum Spartanarum vota non in vno, sed multiplici scuto, veluti in tumulo iacet consepulta. SIQVIDEM auida pretij fames, & mollis animus magis quàm caprificus muros aperit vel fortissimos. Suprà turres mirâ altitudine conspicuas Tritonum Plin. imagines veteres collocabant: Tritones, qui Dij Maritimi fingebantur Maris ima incolere, cur altissima occupauerant fastigia, nisi quod mare quandoq; toto terrarum orbe sub vndis vltricibus merso summa sibi subiecit? Et benè Tritonum conchę personant vbi tubarum resonat clangor. Dicam tamen, & veriùs validissimas arces occupari ab ijs, qui non incolunt mare, sed qui maris pretiosa muros tuentibus elargiantur.

Non tua tantùm munimenta Creta terrarum omniū gloriosissima audacissimos furiosi hostis impetus

que-

confregere. Eſt N.N. Creta forma oblonga, vt non diuturnũ ſed æternũ portendat imperium Venetis, qui ingenti pecuniæ vi à Marchione Montis Ferrati habitam vrbem à Balduino Flandriæ Comite, & tunc Imperatore Byzantij emere voluerunt. Ea, inquam Creta non Egæo tantùm ſed Libico, Egyptio, ac Carpatio imminens Mari, olim centum vrbibus inſignis, ſed clarior modò innumeris Turcarum præliatoribus, nunc Caneam, & Rhetimum tenet. Ambitus Inſulæ quingentorum viginti millium paſſuum eſt. Montes ipſi ſurgunt in Occaſum vergentes miræ altitudinis Taigeto Laconiæ monte nihilo inferiores; Ida tamen ita cæteris eminet, vt ante Orientem ſupra Horizontem Solem, Solem videat.

Ideis fama eſt è montibus altis Vir. Æneid.
Diſperſos ignes Orientis lumine cerni,

Ab hac occidentali plaga nunc Turcæ arctè premunt Vrbem ſubterraneis cuniculis pro viribus ennitentes externa diſijcere propugnacula ſphæræ circulis adeò implicata, vt putandum ſit ſummis ab intelligẽtijs, tanta munimenta fuiſſe cõſtructa, quemad modum olim Troiani Idam rogis nudarunt, vt cadauera comburent, ita & Turcę, huc loci confluunt, quò in promptu habeant ligna, quibus conſtruant rogos interfectorum aceruis. Fuiſſent infirma tua monimenta, Creta, ad propulſandum terribilem, communemque hoſtem, ni eorum præſtantia, qui inſomnes tuæ

tuæ inhiant ſecuritati, extitiſſet ſingularis; Hi non aliam mentem induti, niſi quam habuit Curtius, qui veluti theſaurum ſe condidit bono publico, dumque voraginis obturat hiatum, centena ſibi aperit ora famæ; quam habuit Codrus ignotus hoſtibus, vt notus ſibi eſſet, & orbi, quam Mutius, cuius ignita dextra geminans terrorem dolo omen victoriæ portendit Romæ, (quidquid dicant Augures ominari ſiniſtram fauſtiſſima) quam Horatius qui ſolus hoſtes vndique inſtantes ſummouens reciſo ponte tranſnatat Tiberim, nec exuit arma, cum & vndas debeat ſuperare, & ſibi Oceanum gloriæ in flumine reperire: quam Decij habuere capti cæco, ſed laudabili impetu in media inimicorum arma proruentes, ſe veluti victimas Reipublicę commodo deuouerunt; Quoniam non ipſos latebat ante omnia diuina eſſe conſulenda, nullumque munimentum firmius religione, expiata conſcientia, ſacra ſynaxi muniti, ſuam vt virtutem Numina tuerentur, ad vnum omnes obteſtati propriæ incolumitati Reipublicæ ſalutem præferendam à ſolertia Ducum diſtributa vnicuique propugnacula tenent, optabili ſeditione inter ipſos amoris erga patriam exorta, vt præclariùs ſuo munere fungerentur.

Quare cum ſinguli ad propugnandam libertatem, Orbemque Chriſtianum vitam quouis auro pretioſiorem impendere ſtatuerint mira ſtrenuitate, in cuius animum cadere ſuſpicio poteſt hos aliquo rerum affectu tangi, muliebre pectus gerere,

quod

quod ad furiosissimum tanti hostis impetum, & clamorem, cum ipse fæminarum cætus robur Amazonum æmuletur, cadat. Non cadet Creta, Deo propitiante, tantorum Hærouma virtuti subnixa. Videor mihi intueri ingentes Principum animas obliquo lumine despicere eos, qui bellica laude florentes totius sibi terrarum orbis admirationem extorquent, quæ vel inuidios Venetæ gloriæ cogunt, vt non malignè in laudes erumpant, & Venetos inuictos esse fateantur. Non amplius ambigitur de admirabili virtute vestra Imperatorum omnium fortissimi, dum tanta adhuc bellicæ gloriæ experimenta dedistis. Quid futurum sit in dubium reuocat Orbis, in ancipiti inter spem, metumque hærens aliquod malum euenturum potius formidat, quàm felicem aliquem ex hoc terribili armorum concussu euentum sperat profecturum. Quoniam præterquamquod in omnibus de euentu fortuna iudicat, præsertim in pręlio, cum sors sit domina Campi, additur ingens adeo, inauditusq. armorum apparatus immanitate barbarus, multitudine innumerabilis, militum robore abundans sub ductu, auspicioque maximi apud Turcas Politicarum rerum administri in Venetæ Reip. perniciem à Bosphoro Thracio in Cretā erumpēs, vt vel ipsis arma tractantibus terrorem incuteret. Quamobrem oh pudor (prius timuere hostem quàm viderint) non pauci maritima è Classe minima descenderunt è naui, vt pos-

sent

ſent totoſuæ vitæ curriculo de ſe prædicare oppugnationem Gretæ cum totis propemodum Orientis viribus proprijs oculis conſpexiſſe. Adeo ſolus Turcarum aſpectus vincit(quid quid aſſentatoriè dixerint alij de Cæſare) fortaſſe, verebantur ne viſus lethalis anguium eſſet,quo infecti illico conciderent. Noxium animal Creta non gignit? Quidquid dirum, peſtilens, atrox, ferum vbique diuiſum, modo collectum tenet. Bella non gerunt Turcæ in quibus ſuis viribus, ac numero freti non ſperent, quidquid aggrediuntur, ſupra vota habituros. INDECORVM putant id attentare, quod obtinere non poſſint; EXPENSO robore tument,licèt modò decepti fuerint cupidine falſa,multumque illis diuerſa omnia occurrerint:ad prælium prius nati, quàm facti,clypeo ludunt in cunabulis, vagitum reddunt lituuorum ſtrepitu ferociorem, Dimidiatam luná præſeferunt in ſtemmate,an donec *totum impleat Orbem*?an quoniam arcus eſt non pacis, ſed ſignum diluuij quod ab ipſis creditur effundi in Orbis perniciosiſſimam euerſionem? Oh Veneti Heroes! Non eſt vobis dimicandum cum Sabæis, qui pretioſis odoribus redolentes à fætido cadauerum in prælio cæſorum ſitu oculos auocant, & animum, marcentque delicijs veriore luxuria,quàm triumpho lætantes; non cum Parthorum ſimulantium fugam volaticis armis,non cum Armenijs leuibus,non cum nimio difluentibus luxu, quos fæmina tenet ſub imperio; cum Turcis, qui vnicà tantùm

acie integra regna solent sibi subijcere. Non ita Cymbri, et Theutoni, atq. Tigurini ferocissimi populorum Oceani inundatione ab extremis Gallorum agris profugi innumerabilium armatorum torrente Italiam inuadentes tantum terroris primùm Sylano, secundùm Manlio, tertiùm Cepioni iniecere, quorum tamen inuicta rabies, & impetus, QVEM PRO VIRTVTE BARBARI HABENT, Marij prudentia coercentis milites in castris auidissimos decertandi, consenuit. Non ita ferus Annibal lumine læsus Gætuliæ insidens feræ commouit Romanos Patres, cùm Ausonias perfringeret Arces pertinacissimo labore, aceto, ferroq; superatis Alpibus. Non ita expalluit purpura Patrum Gallorum impetu in Vrbem, vt reformidant Principes ingentem Turcarum vim, qui felix, faustumque sui auspicium sumentes, si pro suo domino cadant in prælio, cæca planè irruptione in media se pericula conijciunt mactandos. SI QVIDEM voluntas regnantium parendi subditis necessitas est: QVI promiscuè nouit obedire, sui periculum ignorat. Quid verò vos amplius moror Auditores, perinde ac infinitam Christiani nominis hostis potentiam paruo orationis gyro circumscribere possem, quam ingentia volumina nequeunt. Attamen (censent vanum posteri, & candidos, atque eximios scriptores, quos inter perpetuò erit præstantissimus Baptista Nanius Reipublicæ Historiographus, mentiri commenta, & fabulas texere credent. QVONIAM non videbunt, quæ dubitauerint fieri potuisse, nos videmus fieri, quæ

dubitauimus esse facienda) nullo interiecto induciarum tempore, sed continuis, grauibusque bellorum procellis spatio quatuor, & viginti annorum vexata inuictissima Respublica, quibus nescio quænam Regni nauis naufragium iam pridem non subijsset, sola, sola vt publicam, omniumque Christianorum Principum causam, maiestatemque tueatur, non solum euitat, sed suprà humanam fidem tam sæuam superat tempestatem; eo tempore, quo effusis publici ærarij immensis thesauris, non verò prudentiæ, quorum vena indeficiens est, ne nimio vectigalium pondere subditi premantur, quoniam BONI PASTORIS EST TONDERE PECVS NON DEGLVBERE, nobilitatem, aliaque Reipublicæ insignia, vt in altero bello consueuit, pretium liberalitatis ciuium fecit, hostem potentissimum vltima experiri tentantem irę impetu actum, quoniam irritos anno Salutis quadragesimo supra millesimum sexcentesimum octauo congressus vidit, VenetamClassem moderante Leonardo Mocenigo præstantissimo Duce, omnium ore laudando, qui audito discrimine imminente, ne Creta in manus hostium deueniret optimo consilio (ò sententiam costantissimo Imperatore dignam, digna Leonardo, Veneto dignam) statuit mori potius, quàm vrbem sub suo ductu, auspicioque amitti, iam fudit, & modò Respublica ineluctabili spiritus vigore coercet.

Ah nonne vobis versantur ob oculos, Augustissimi Patres, Barbari suprà modum tumidi victoriam

magis,

magis, quàm prœlium ſpectantes oppugnationis initio, quo extruebant aggeres, cuniculos elaborabant ad inopinatas ignis erruptiones, propugnacula excitabant ſub terra veluti noctuæ opus agentes, adhuc viui conſepulti (ò nouam bellandi faciem, ò inauditum genus oppugnationis) in glorioſiſſimos Cretæ propugnatores atrociſſimas meditantes clades? An non furorem Turcarum bellicum intuemini veluti flammam in ſummos duces, in ſumma capita ſerpendo ſæuire, & ſecum vehentes triumphorum miniſteria lauream in dubium minimè reuocantes? Quod enim quiſque vult, facilè credit: ſed tuæ præſumptionis pœnas dabis, inmaniſſime Tyrannorum: quoniam ſæpè redeunt cædes in ſuos auctores. Inuaſit olim Cretam ſola vincendi nobilem Insulam impulſus cupiditate M. Antonius cum ſumma victoriæ ſpe, atque fiducia adeò vt, inquit Florus, plures catenas in nauibus quàm arma portaret. Sed luit vecordiæ pœnas: nam pleraſque naues intercepere hoſtes, captiua corpora religata funibus pependere, ac ſic velificantes triumphantium in modum Cretes portubus ſuis adremigauerunt. Familiare hoc eſt Venetorum facinus, qui ſciunt tela regerere in ipſos ſagittarios. Viderunt maiores noſtri Liguſticum hoſtem ad Foſſam Clodiam immodica nimis inſolentia hiſce æſtuarijs inſultantem, & imminentẽ vrbium Reginæ, ſed illum belli inconſulti turbinem hanc regiam propemodum obruentem Reipublicæ virtus in hoſtium perniciem exitiumq;

Luc. Flor.

 diſcuſ-

discussit. Vidimus nos paucis ab hinc annis Turcas superbia tumidos, & arrogantia magis, quam vela in Regnum commeatus vehentia ad Hellespontum in Alexandriæ valle singulari Laurentij Marcelli supremi totius Venetæ Classis Imperatoris prestantià disiecta. Quæ victoria, vt benè incæpit, ità infausto omine desijt. RARO felicitatis initium exitus probat; decreuerat enim astu militari sumptis Turcarum signis, & vestibus Cydonis partum subire, vt simulans amicum esse reuera incautum hostem opprimeret, atque discerent Turcæ suis ipsis armis, quæ in alios intentant, vinci posse. Sed fortuna vtpote fortibus viris inuida victoriam voluit ACEPHALAM esse, capite diminutam. Dum spolia opima retulit Laurentius cum laurea spolium corporis posuit. Desijt viuere inter mortales post immortale factum satis sibi, & gloriæ spectatus, sed non satis patriæ. Vidimus post feralem tanti herois cupressum litteras laureatas gaudia publica testantes ad Senatum missas à Lazaro Mocenico Procuratoria dignitate insignito Laurentij successore, quippè vno auulso non deficit in Republica alter aureus. An laureus? Contulit Senatus Romanus Lucio Metello Ciui optimè merito, qui Palladum à publico incendio surripiens oculum amisit, (CLARVM, QVIA RARVM DECVS,) vt quoties in Senatum iret, curru veheretur ad Curiam.
Plin. l. 7. c. 43. MAGNVM, ET SVBLIME, SED PRO OCVLIS DATVM. Quid non dedit Veneta Respublica Lazaro, qui vt à bellorum incendio sapientissimum hoc regimen seu

Palla-

Paladium, in quo ſtat fatum Imperij, ſummoueret perdidit oculum, vt tela fortaſſe tutius in Turcas collimaret. Vt micuit ardore prælij quoad vixit, ità relicta Luce obijt inter ſplendores. Renatus ad immortalem gloriam, vere phænix in igne. Vt ſtella cadens reffulſit in obitu; ſyderibus tantum Heroem Numina intulerunt in perpetuas æternitates.

Quæ habentur in pretio rara ſunt, quinimò cuncta deſunt eſſe pretioſa, vt multa. Non adimit tamen pretium, & ſingularitatem Venetorum numerus heroum, Turcarum feritati ignotus. Quare ſibi facilè ſuadentes hoſtes vnà cum immenſis theſauris Venetæ Claſſis Imperatores pariter fuiſſe conſumptos, cunctaq; Reipublicę lumina extincta fauſto ſe omine Regnum ſe vrgere poſſe exiſtimarunt! Hìc reticeri non poteſt, quod de Tiberio Suetonius tradit. Conſueuerunt vt benè noſtis, in bellicis expeditionibus veteres auſpicia ſumere, vt cuncta feliciter euenirent. Ab auibus aliqui futura diſcebant, ſed quàm leuis felicitas, quæ à præteruolantibus habebatur? Exta introſpiciebant alij, ſed quid veri portenderent Pecudum viſcera? ſydera nonnulli obſeruabant; at ſæpius cum ipſis errabant. Verùm vaniſſima haruſpicum commenta, quibus cæcas deludebant augures hominum mentes haud ſectatus fuit Imperator. Quamuis minimum fortunæ permitteret, prælia conſtantiùs inibat, quoties lucubrante ſe ſubito, ac nullo propellente decideret lumen, & extingueretur, confidens, vt aiebat, OSTENTO

 ſibi

sibi ac maioribus suis in omni ducatu expertissimo. Quid hoc diuinandi genere magis inauditum ex luminis extinctione ominari sibi gloriæ splendorem? Scimus Lysippo super hastam affulsisse stellas, quæ ex vaporibus accenduntur, & inde spem certissimam sumpsisse bellicæ virtutis, qua se credidit perillustrem. At lumen extinctum cui nam præter Tiberium felicitatis lucem portendit? fortasse ominabatur hostium vitam pariter extinguendam? an suam gloriam soli similem arbitrabatur, qui non surgit nisi cadentibus stellis? rem acu attingam. Hoc erat Tiberij ingenium, vt nunquam se feliciorem putaret, quàm cum Reipublicæ lumina, præstantissimi ciues, ac nobilissimi extinguerentur. Haud secus opinabatur Turcarum Imperator faustissimum omen in hoc bello sumi posse, quoniam plurima vidit Venetæ Reipublicæ lumina ad perennem patriæ splendorem extincta.

Senec: quæst: nat.

O te malè consultum, immanissime Tyrannorum! Te potuit latere FRANCISCVS MAVROCENVS splendor Veneti Imperij, bis supremæ Classis inuictissimus Imperator, qui non semel à te exegit pęnas temeritatis? An putabas non amplius tanta Herois luce minime posse perstringi? AMAT Respublica Veneta de se optimè meritis geminare honores, quos qui suscipere semel meruerunt, nisi ipso munere, merito semper tenent. Dignitatem exhibuit secundùm Francisco, nō contulit. COLLATIO enim iudicium requirit, nouis iudicium impendit, sed semel placitis ostenditur de-

cus

cus. Cuinam ratio publicæ vtilitatis, momentumque rerum omnium committendum erat. Sinè vsu planè iacere non potuit MAVROCENVS. DIVITIS auri vena similis est reliquæ terræ si iaceat, vsu crescit ad pretium, quamquam de hoc Heroe, quòd Plinius dixit de Colosso, reuera possumus vsurpare, *etiam iacens* hoc est deposito imperio, *miraculo* erat. Gaudet Respublica habere in Creta Franciscum, in quo sua floreant iudicia: HABET enim speciem diuinitatis, vbique est, vbi sui sunt ciues. Quid enim aut loquitur, aut consultat, aut gerit Imperator, quod frequentissimi Senatus non habeat suorum operum laudabilissima testimonia. Hæc suspecta esse non possunt: Patrum quippè sententia de solis gestis iudicium sumit. BLANDIRI nescit animus, dominij potestate munitus. Vos prudentissimi Senatores sedendo vincitis, (vt de Senatu Romano Cato asseruit) Franciscus stando, & stantem mori opportere dictitat pro sua Republica, si casus velit, quod summi Principis est. Vigilans vt suus Leo quiescit. Continuam siquidem exercitationem ingens spiritus amat. IVGI agitatione se uegetat æternitas, summa vertigo Cælum rotat, maria æstibus inquietantur, stare Sol nescit; quiescere nescit Maurocenus pro publica incolumitate, aut pati, aut vincere pro publica gloria cõtendit, vnus est, sed multiplex, varius in vno, vnus in omnibus: quà voce; quà consilio, quà laude, quà exẽplo imperat, lacessit, pugnat, triumphat; vtq. cuncti tantum imitentur ardorem, ità concio-

nem habentem audire videor FRANCISCVM MAVROCENVM. *Eia; Dilectissimi Commilitones mei, aut mihi, & vobis vincendum est, aut moriendum.* Sint licet *innumerabiles copiæ lecto militum robore instructæ, quæ furioso, desperatoque impetu irrumpant in nos, pro nobis decertat melior causa, iustitia, Cælum, Deus. Quo magis periculum instat, eò maius erit victoriæ decus. Vos putat barbarus hostis infirmos, pauidos, ineptos ad tantam vim propulsandam, vertite ludibria, & odia inimicorum in vestras laudes. Nec quam magni nominis bellum est, tam difficilem existimaueritis victoriam fore.* SAEPE *contemptus hostis cruentũ certamen edidit, &* POTENTISSIMI *populorum, Regumque perleui momento victi sunt. Cum his est vobis committendum prœliũ, qui oppugnant hanc Regiam non quia audent, sed quia necesse est. Maior animus sit arcentis vim, quàm inferentis. Videtis ignes, sed fatuos, fumum aspicitis, sed qui splendorem afferet vobis, hostibus eliciet lacrymas: nos armis prælucemus, hostis vt Andabata pugnat in tenebris, quas sceleris conscius amat. Dissonũ clamorem, minimè formidate. Plausũ vestræ per orbem gloriæ amate, date cunctis cõmendare quæ pauci gesserint, paucis gerere, quæ commẽdant vniuersi. Non me latet vobis gratiora esse præconia, quàm aurũ:* IGNAVO *quippè etiam militi stipendium penditur: tamen geminata vobis erunt stipendia, & quidquid ab hoste diuite accipietis, vestrum erit.* His vocibus excitus miles prœoccupat votis prœlium, quoniam si nunquam aliàs, modò verum proculdubio proditum est, TANTI ESSE EXERCITVM, QVANTI IMPERATOREM. Quam verò strenuitatem non prœsetulit Antonius Barbarus

ſupremi Ducis exemplo commotus, cuius virtuti debet multum Creta, verè Gradiuum in militari ardore æmulatus eſt. Quot nobiles Honorarij bellatores iurarunt in verba tanti Imperatoris, liquere vrbis delicias? Octauius Labia, Octauiani Augusti nomen dignè ferens spontè, proprijs impenſis, raro exemplo nonnè Ciuis partes egregie impleuit aurum bono post publico ponens? Quot, inquam nobiles præclara facinora edidere, quorum tantùm ſinguli præſtitere, quantum vniuerſi in ipſos texere præconia poſſunt. His eminet Maurocenus cum ipſis militibus immixtus eadem patitur ac illi, nihilque ab ipſis differt, niſi præſtantia, robore, & conſilio: quod vel vt alij diſcant aut tutius ſit (ETENIM ſapientiam quærit in altero, penes quem eſt ſcientiæ magnitudo) init cum Girone Franco Marchione Villa, qui ſecundo ab Imperatore non lætatur magis augeri dignitate, quàm æquari in conſilio. O quam rem præſtatis gemini Heroes omninm planè laude, prædicatione, litteris, monumentiſque decorandam. IDEM velle, atque idem nolle, vnaque opinio vobis eſt. Quinnimò dixerim vos Angelicam mentem fuiſſe ſortitos, cum tacita conſpiratione in publicum bonum alter alterius cōſilium intelligat. Quis dubitet vos gemina eſſe Reipublicæ lumina, dum vobis VNVS ASPECTVS EST? & concordem ſenſum quis vidit ſegregatum? Vt vis externa; ità vis ingenij fortior, quæ vnita. Heroum ſemita lactea via eſt vnitis ſtrata ſyderibus, quę ducit ad campos perpe-

tuæ inhiant ſecuritati, extitiſſet ſingularis; Hi non aliam mentem induti, niſi quam habuit Curtius, qui veluti theſaurum ſe condidit bono publico, dumque voraginis obturat hiatum, centena ſibi aperit ora famæ; quam habuit Codrus ignotus hoſtibus, vt notus ſibi eſſet, & orbi, quam Mutius, cuius ignita dextra geminans terrorem dolo omen victoriæ portendit Romæ, (quidquid dicant Augures ominari ſiniſtram fauſtiſſima) quam Horatius qui ſolus hoſtes vndique inſtantes ſummouens reciſo ponte tranſnatat Tiberim,nec exuit arma, cum & vndas debeat ſuperare, & ſibi Oceanum gloriæ in flumine reperire: quam Decij habuere capti cæco, ſed laudabili impetu in media inimicorum arma proruentes,ſe veluti victimas Reipublicę cōmodo deuouerunt; Quoniam non ipſos latebat ante omnia diuina eſſe conſulenda, nullumque munimentum firmius religione, expiata conſcientia, ſacra ſynaxi muniti, ſuam vt virtutem Numina tuerentur, ad vnum omnes obteſtati propriæ incolumitati Reipublicæ ſalutem præferendam à ſolertia Ducum diſtributa vnicuique propugnacula tenent, optabili ſeditione inter ipſos amoris erga patriam exorta, vt præclariùs ſuo munere fungerentur.

Quare cum ſinguli ad propugnandam libertatem, Orbemque Chriſtianum vitam quouis auro pretioſiorem impendere ſtatuerint mira ſtrenuitate,in cuius animum cadere ſuſpicio poteſt hos aliquo rerum affectu tangi, muliebre pectus gerere,

quod

quod ad furiosissimum tanti hostis impetum, & clamorem, cum ipse fæminarum cætus robur Amazonum æmuletur, cadat. Non cadet Creta, Deo propitiante, tantorum Hæroum virtuti subnixa. Videor mihi intueri ingentes Principum animas obliquo lumine despicere eos, qui bellica laude florentes totius sibi terrarum orbis admirationem extorquent, quæ vel inuidios Venetæ gloriæ cogunt, vt non malignè in laudes erumpant, & Venetos inuictos esse fateantur. Non amplius ambigitur de admirabili virtute vestra Imperatorum omnium fortissimi, dum tanta adhuc bellicæ gloriæ experimenta dedistis. Quid futurum sit in dubium reuocat Orbis, in ancipiti inter spem, metumque hærens aliquod malum euenturum potius formidat, quàm felicem aliquem ex hoc terribili armorum concussu euentum sperat profecturum. Quoniam præterquamquod in omnibus de euentu fortuna iudicat, præsertim in prelio, cum sors sit domina Campi, additur ingens adeo, inauditusq. armorum apparatus immanitate barbarus, multitudine innumerabilis, militum robore abundans sub ductu, auspicioque maximi apud Turcas Politicarum rerum administri in Venetæ Reip. perniciem à Bosphoro Thracio in Cretã erumpẽs, vt vel ipsis arma tractantibus terrorem incuteret. Quamobrem oh pudor !prius timuere hostem quàm viderint) non pauci maritima è Classe minima descenderunt è naui, vt possent

sent totosuæ vitæ curriculo de se prædicare oppugnationem Gretæ cum totis propemodum Orientis viribus proprijs oculis conspexisse. Adeo solus Turcarum aspectus vincit(quid quid assentatoriè dixerint alij de Cæsare) fortasse, verebantur ne visus lethalis anguium esset,quo infecti illico conciderent. Noxium animal Creta non gignit? Quidquid dirum, pestilens, atrox, ferum, vbique diuisum, modo collectum tenet. Bella non gerunt Turcæ in quibus suis viribus, ac numero freti non sperent, quidquid aggrediuntur, suprá vota habituros. INDECORVM putant id attentare, quod obtinere non possint; EXPENSO robore tument, licèt modò decepti fuerint cupidine falsa, multumque illis diuersa omnia occurrerint: ad prælium prius nati, quàm facti, clypeo ludunt in cunabulis, vagitum reddunt lituuorum strepitu ferociorem, Dimidiatam luná præseferunt in stemmate, an donec *totum impleat Orbem?* an quoniam arcus est non pacis, sed signum diluuij quod ab ipsis creditur effundi in Orbis perniciosissimam euersionem? Oh Veneti Heroes! Non est vobis dimicandum cum Sabæis, qui pretiosis odoribus redolentes à fætido cadauerum in prælio cæsorum situ oculos auocant, & animum, marcentque delicijs veriore luxuria, quàm triumpho lætantes; non cum Parthorum simulantium fugam volaticis armis, non cum Armenijs leuibus, non cum nimio difluentibus luxu, quos fæmina tenet sub imperio; cum Turcis, qui vnicà tantùm

acie

acie integra regna ſolent ſibi ſubijcere. Non ita Cymbri, et Theutoni, atq. Tigurini ferociſſimi populorum Oceani inundatione ab extremis Gallorum agris profugi innumerabilium armatorum torrente Italiam inuadentes tantum terroris primùm Sylano, ſecundùm Manlio, tertiùm Cepioni iniecere, quorum tamen inuicta rabies, & impetus, QVEM PRO VIRTVTE BARBARI HABENT, Marij prudentia coercentis milites in caſtris auidiſſimos decertandi, conſenuit. Non ita ferus Annibal lumine læſus Gætuliæ inſidens feræ commouit Romanos Patres, cùm Auſonias perfringeret Arces pertinaciſſimo labore, aceto, ferroq; ſuperatis Alpibus. Non ita expalluit purpura Patrum Gallorum impetu in Vrbem, vt reformidant Principes ingentem Turcarum vim, qui felix, fauſtumque ſui auſpicium ſumentes, ſi pro ſuo domino cadant in prælio, cæca planè irruptione in media ſe pericula conijciunt mectandos. SI QVIDEM voluntas regnantium parendi ſubditis neceſſitas eſt: QVI promiſcuè nouit obedire, ſui periculum ignorat. Quid verò vos amplius moror Auditores, perinde ac infinitam Chriſtiani nominis hoſtis potentiam paruo orationis gyro circumſcribere poſſem, quam ingentia volumina nequeunt. Attamen (cenſent vanum poſteri, & candidos, atque eximios ſcriptores, quos inter perpetuò erit præſtantiſſimus Baptiſta Nanius Reipublicæ Hiſtoriographus, mentiri commenta, & fabulas texere credent. QVONIAM non videbunt, quæ dubitauerint fieri potuiſſe, nos videmus fieri, quæ

B dubi-

dubitauimus esse facienda) nullo interiecto induciarum tempore, sed continuis, grauibusque bellorum procellis spatio quatuor, & viginti annorum vexata inuictissima Respublica, quibus nescio quænam Regni nauis naufragium iam pridem non subijsset, sola, sola vt publicam, omniumque Christianorum Principum causam, maiestatemque tueatur, non solùm euitat, sed suprà humanam fidem tam sæuam superat tempestatem; eo tempore, quo effusis publici ærarij immensis thesauris, non verò prudentiæ, quorum vena indeficiens est, ne nimio vectigalium pondere subditi premantur, quoniam BONI PASTORIS EST TONDERE PECVS NON DEGLVBERE, nobilitatem, aliaque Reipublicæ insignia, vt in altero bello consueuit, pretium liberalitatis ciuium fecit, hostem potentissimum vltima experiri tentantem irę impetu actum, quoniam irritos anno Salutis quadragesimo supra millesimum sexcentesimum octauo congressus vidit, VenetamClassem moderante Leonardo Mocenigo præstantissimo Duce, omnium ore laudando, qui audito discrimine imminente, ne Creta in manus hostium deueniret optimo consilio (ò sententiam costantissimo Imperatore dignam, digna Leonardo, Veneto dignam) statuit mori potius, quàm vrbem sub suo ductu, auspicioque amitti, iam fudit, & modò Respublica ineluctabili spiritus vigore coercet.

Ah nonne vobis versantur ob oculos, Augustissimi Patres, Barbari suprà modum tumidi victoriam magis,

magis, quàm prælium ſpectantes oppugnationis initio, quo extruebant aggeres, cuniculos elaborabant ad inopinatas ignis erruptiones, propugnacula excitabant ſub terra veluti noctuæ opus agentes, adhuc viui conſepulti (ò nouam bellandi faciem, ò inauditum genus oppugnationis) in glorioſiſſimos Cretæ propugnatores atrociſſimas meditantes clades? An non furorem Turcarum bellicum intuemini veluti flammam in ſummos duces, in ſumma capita ſerpendo ſæuire, & ſecum vehentes triumphorum miniſteria lauream in dubium minimè reuocantes? Quod enim quiſque vult, facilè credit: ſed tuæ præſumptionis pænas dabis, iinmaniſſime Tyrannornm: QVONIAM ſæpè redeunt cædes in ſuos auctores. Inuaſit olim Cretam ſola vincendi nobilem Luc.Flor. Inſulam impulſus cupiditate M. Antonius cum ſumma victoriæ ſpe, atque fiducia adeò vt, inquit Florus, plures catenas in nauibus quàm arma portaret. Sed luit vecordiæ pænas: nam pleraſque naues intercepere hoſtes, captiua corpora religata funibus pependere, ac ſic velificantes triumphantium in modum Cretes portubus ſuis adremigauerunt. Familiare hoc eſt Venetorum facinus, qui ſciunt tela regerere in ipſos ſagittarios. Viderunt maiores noſtri Liguſticum hoſtem ad Foſſam Clodiam immodica nimis inſolentia hiſce æſtuarijs inſultantem, & imminentẽ vrbium Reginæ, ſed illum belli inconſulti turbinem hanc regiam propemodum obruentem Reipublicæ virtus in hoſtium perniciem exitiumq;

 diſcuſ-

discussit. Vidimus nos paucis ab hinc annis Turcas superbia tumidos, & arrogantia magis, quam vela in Regnum commeatus vehentia ad Hellespontum in Alexandriæ valle singulari Laurentij Marcelli supremi totius Venetæ Classis Imperatoris prestantiâ disiecta. Quæ victoria, vt benè incæpit, itâ infausto omine desijt. RARO felicitatis initium exitus probat; decreuerat enim astu militari sumptis Turcarum signis, & vestibus Cydonis partum subire, vt simulans amicum esse reuera incautum hostem opprimeret, atque discerent Turcæ suis ipsis armis, quæ in alios intentant, vinci posse. Sed fortuna vtp ote fortibus viris inuida victoriam voluit ACEPHALAM esse, capite diminutam. Dum spolia opima retulit Laurentius cum laurea spolium corporis posuit. Desijt viuere inter mortales post immortale factum satis sibi, & gloriæ spectatus, sed non satis patriæ. Vidimus post feralem tanti herois cupressum litteras laureatas gaudia publica testantes ad Senatum missas à Lazaro Mocenico Procuratoria dignitate insignito Laurentij successore, quippè vno auulso non deficit in Republica alter aureus. An laureus? Contulit Senatus Romanus Lucio Metello Ciui optimè merito, qui Palladum à publico incendio surripiens oculum amisit, (CLARVM, QVIA RARVM DECVS,) vt quoties in Senatum iret, curru veheretur ad Curiam.
Plin. l. 7. c. 43. MAGNVM, ET SVBLIME, SED PRO OCVLIS DATVM. Quid non dedit Veneta Respublica Lazaro, qui vt à bellorum incendio sapientissimum hoc regimen seu

Palla-

Paladium, in quo ſtat fatum Imperij, ſummoueret perdidit oculum, vt tela fortaſſe tutius in Turcas collimaret. Vt micuit ardore prælij quoad vixit, ità relicta Luce obijt inter ſplendores. Renatus ad immortalem gloriam, vere phænix in igne. Vt ſtella cadens reffulſit in obitu; ſyderibus tantum Heroem Numina intulerunt in perpetuas æternitates.

Quæ habentur in pretio rara ſunt, quinimò cuncta deſunt eſſe pretioſa, vt multa. Non adimit tamen pretium, & ſingularitatem Venetorum numerus heroum, Turcarum feritati ignotus. Quare ſibi facilè ſuadentes hoſtes vnà cum immenſis theſauris Venetæ Claſſis Imperatores pariter fuiſſe conſumptos, cunctaq; Reipublicę lumina extincta fauſto ſe omine Regnum ſe vrgere poſſe exiſtimarunt. Hìc reticeri non poteſt, quod de Tiberio Suetonius tradit. Conſueuerunt vt benè noſtis, in bellicis expeditionibus veteres auſpicia ſumere, vt cuncta feliciter euenirent. Ab auibus aliqui futura diſcebant, ſed quàm leuis felicitas, quæ à præteruolantibus habebatur? Exta introſpiciebant alij, ſed quid veri portenderent Pecudum viſcera? ſydera nonnulli obſeruabant; at ſæpius cum ipſis errabant. Verùm vaniſſima haruſpicum commenta, quibus cæcas deludebant augures hominum mentes haud ſectatus fuit Imperator. Quamuis minimum fortunæ permitteret, prælia conſtantiùs inibat, quoties lucubrante ſe ſubito, ac nullo propellente decideret lumen, & extingueretur, confidens, vt aiebat, OSTENTO

sibi ac maioribus suis in omni ducatu expertissimo. Quid hoc diuinandi genere magis inauditum ex luminis extinctione ominari sibi gloriæ splendorem? Scimus Lysippo super hastam affulsisse stellas, quæ ex vaporibus accenduntur, & inde spem certissimam sumpsisse bellicæ virtutis, qua se credidit perillustrem. At lumen extinctum cui nam præter Tiberium felicitatis lucem portendit? fortasse ominabatur hostium vitam pariter extinguendam? an suam gloriam soli similem arbitrabatur, qui non surgit nisi cadentibus stellis? rem acu attingam. Hoc erat Tiberij ingenium, vt nunquam se feliciorem putaret, quàm cum Reipublicæ lumina, præstantissimi ciues, ac nobilissimi extinguerentur. Haud secus opinabatur Turcarum Imperator faustissimum omen in hoc bello sumi posse, quoniam plurima vidit Venetæ Reipublicæ lumina ad perennem patriæ splendorem extincta.

Senec: quæst: nat.

O te malè consultum, immanissime Tyrannorum! Te potuit latere FRANCISCVS MAVROCENVS splendor Veneti Imperij, bis supremæ Classis inuictissimus Imperator, qui non semel à te exegit pęnas temeritatis? An putabas non amplius tanta Herois luce minime posse perstringi? AMAT Respublica Veneta de se optimè meritis geminare honores, quos qui suscipere semel meruerunt, nisi ipso munere, merito semper tenent. Dignitatem exhibuit secundùm Franciscum, nō contulit. COLLATIO enim iudicium requirit, nouis iudicium impendit, sed semel placitis ostenditur de-

cus

cus. Cuinam ratio publicæ vtilitatis, momentumque rerum omnium committendum erat. Sinè vsu planè iacere non potuit MAVROCENVS. DIVITIS auri vena similis est reliquæ terræ si iaceat, vsu crescit ad pretium, quamquam de hoc Heroe, quòd Plinius dixit de Colosso, reuera possumus vsurpare, *etiam iacens* hoc est deposito imperio, *miraculo* erat. Gaudet Respublica habere in Creta Franciscum, in quo sua floreant iudicia: HABET enim speciem diuinitatis, vbique est, vbi sui sunt ciues. Quid enim aut loquitur, aut consultat, aut gerit Imperator, quod frequentissimi Senatus non habeat suorum operum laudabilissima testimonia. Hæc suspecta esse non possunt: Patrum quippè sententia de solis gestis iudicium sumit. BLANDIRI nescit animus, dominij potestate munitus. Vos prudentissimi Senatores sedendo vincitis, (vt de Senatu Romano Cato asseruit) Franciscus stando, & stantem mori opportere dictitat pro sua Republica, si casus velit, quod summi Principis est. Vigilans vt suus Leo quiescit. Continuam siquidem exercitationem ingens spiritus amat. IVGI agitatione se uegetat æternitas, summa vertigo Cælum rotat, maria æstibus inquietantur, stare Sol nescit; quiescere nescit Maurocenus pro publica incolumitate, aut pati, aut vincere pro publica gloria cõtendit. vnus est, sed multiplex, varius in vno, vnus in omnibus: quà voce, quà consilio, quà laude, quà exẽplo imperat, lacessit, pugnat, triumphat; vtq. cuncti tantum imitentur ardorem, ità concio-

nem habentem audire videor FRANCISCVM MAVROCENVM. *Eia, Dilectissimi Commilitones mei, aut mihi, & vobis vincendum est, aut moriendum. Sint licet innumerabiles copiæ lecto militum robore instructæ, quæ furioso, desperatoque impetu irrumpant in nos, pro nobis decertat melior causa, iustitia, Cælum, Deus. Quo magis periculum instat, eò maius erit victoriæ decus. Vos putat barbarus hostis infirmos, pauidos, ineptos ad tantam vim propulsandam, vertite ludibria, & odia inimicorum in vestras laudes. Nec quam magni nominis bellum est, tam difficilem existimaueritis victoriam fore.* SAEPE *contemptus hostis cruentū certamen edidit, &* POTENTISSIMI *populorum, Regumque perleui momento victi sunt. Cum his est vobis committendum præliū, qui oppugnant hanc Regiam non quia audent, sed quia necesse est. Maior animus sit arcentis vim, quàm inferentis. Videtis ignes, sed fatuos, fumum aspicitis, sed qui splendorem afferet vobis, hostibus eliciet lacrymas: nos armis prælucemus, hostis vt Andabata pugnat in tenebris, quas sceleris conscius amat. Dissonū clamorem, minimè formidate. Plausū vestræ per orbem gloriæ amate, date cunctis cōmendare quæ pauci gesserint, paucis gerere, quæ commēdant vniuersi. Non me latet vobis gratiora esse præconia, quàm aurū:* IGNAVO *quippè etiam militi stipendium penditur: tamen geminata vobis erunt stipendia, & quidquid ab hoste diuite accipietis, vestrum erit.* His vocibus excitus miles prępoccupat votis prȩlium, quoniam si numquam aliàs, modò verum proculdubio proditum est, TANTI ESSE EXERCITVM, QVANTI IMPERATOREM. Quam verò strenuitatem non pręsetulit Antonius Barbarus

supre-

ſupremi Ducis exemplo commotus, cuius virtuti debet multum Creta, verè Gradiuum in militari ardore ęmulatus eſt. Quot nobiles Honorarij bellatores iurarunt in verba tanti Imperatoris, liquere vrbis delicias? Octauius Labia, Octauiani Auguſti nomen dignè ferens ſpontè, proprijs impenſis, raro exemplo nonnè Ciuis partes egregie impleuit aurum bono poſt publico ponens? Quot, inquam nobiles præclara facinora edidere, quorum tantùm ſinguli pręſtitere, quantum vniuerſi in ipſos texere præconia poſſunt. His eminet Maurocenus cum ipſis militibus immixtus eadem patitur ac illi, nihilque ab ipſis differt, niſi pręſtantia, robore, & conſilio: quod vel vt alij diſcant aut tutius ſit (ETENIM ſapientiam quærit in altero, penes quem eſt ſcientiæ magnitudo) init cum Girone Franco Marchione Villa, qui ſecundo ab Imperatore non lętatur magis augeri dignitate, quàm æquari in conſilio. O quam rem præſtatis gemini Heroes omninm planè laude, prædicatione, litteris, monumentiſque decorandam. IDEM velle, atque idem nolle, vnaque opinio vobis eſt. Quinnimò dixerim vos Angelicam mentem fuiſſe ſortitos, cum tacita conſpiratione in publicum bonum alter alterius cōſilium intelligat. Quis dubitet vos gemina eſſe Reipublicæ lumina, dum vobis VNVS ASPECTVS EST? & concordem ſenſum quis vidit ſegregatum? Vt vis externa; ità vis ingenij fortior, quæ vnita. Heroum ſemita lactea via eſt vnitis ſtrata ſyderibus, quę ducit ad campos perpe-

tuę tranquillitatis. SYDERVM verò occursu nascuntur venti, inquit Plinius. Sunt proceres stellis consimiles. Turbatur siquidem Regnum cum inuicem nobiles opponuntur.

Verùm quid feliciùs poterat optare Veneta Respublica, quàm summam inter strenuissimos Imperatores FRANCISCVM MAVROCENVM, ET HIERONEM FRANCVM MARCHIONEM VILLAM, concordiam? Denegauerit Natura Marchioni Venetos inter Heroas recenseri, quod amor, & virtus fecit. Quæ cognita à Senatu, sicuti in partem tantę propugnationis adscita est, ita & laudis, vt opportuniùs ipsi esset aditus ad parandum sibi decus æternitatis. Nusquam enim, vt modò in Creta par sibi Theatrum poterat occupare. Quidquid alibi faciet, semper se minor erit. Habuit ille militaris disciplinæ fundamentum, sed à Patribus culmen honoris illi constructum fuit. Facinorum memoria noua subinde rerum præclarè gestarum fama viget; at quod vltimum gessit primum erit, & memoria sæculorum omnium quotidiè magis efflorescet. Quamobrem Respublica beneficium dedit Franco, non accepit, vtque maius daret, expectauit tempus, vt ipse eligi mereretur, illa vellet eligere. Nouit hoc beneficium inuictissimus Heros, quo totum se Cretæ dedit, & ipsi Creta.

Repetetis propitiante Deo, fortissimi Heroes ad patrios lares, digni, qui ob vestrum reditum non aureum fortunæ templum, sed virtutis à ciuibus erectum intueamini. Repetetis, atrocissimo hoc bello

con-

confecto, & quoties optimi Pat res in vos oculos conijcient, cognoscent ad tantam virtutem promouendam recta iudicia habuisse. O si mos ille Romanorum vigeret, quo triumphali pompa vrbem subibant Imperatores, quæ omnium gentium acclamationes, qui ciuium plausus, quæ victoriæ monumenta vobis decernerentur! Sed optimè factum est, ne floreat modò illa consuetudo, quoniam minora meritis quisque faceret. Et de ciuibus triumphatis; quoniam quæcumque laudis vincitis testimonia. Digito tamen vos commostrabunt, dicentque. Hi sunt, qui sibi, & gloriæ, & bono publico vixerunt, viuentque perenni sæculorum ambitu gloriosissimi. Hi pietate dubiam Cretam diuino planè conatu in Venetorum ditione firmarunt. Ancilijs è Cælo delapsis propugnantes æternam sanctissimo huic imperio potestatem in Insulæ portenderunt. Hi dabunt historiæ, hi Poeticæ argumentum, non minus, quàm Vlisses Homero, Æneas Virgilio. Atqui cum ego vos videam, quid dicam? Stupor adimet vocem, sicuti neque modò vestra præconia narrare, nedum exornare potui. Et de ingenijs hominum triumphatis. Gloriabitur quisque per omne æuum vidisse duos Turcarum domitores, vindices gloriæ, restitutores Regni, libertatis auxilium, Curię decus, Veneti nominis singulare præconium: Duces vidisse, quibus maior extitit labor, & strenuitas labantem prouinciam in ualidissimum hostem tutari, quàm facere.

In perpetua Venetorum ditione stabit Creta; re-

gna etenim, quæ iure tenentur, tuetur Deus. Quænam adhuc ſpes vobis dulci malo blanditur (Turcarum Principes) tantam Inſulam ſubigendi? Serena quondam vobis illuxerat adeò fortuna, vt Sereniſſimo huic imperio regnum eripere arbitraremini? SED IMPIETAS cum gradum ſibi ſtruxit ad altiora momento ruit lapſu grauiore. Inuictiſſima enim Leonardi Mocenici virtus (proh immortale facinus!) vos fortiora propugnacula tenentes proturbauit: veſtra vota deluſit, ſpem abiecit, conatus fregit, irritam audaciam fecit. Proximè vltima experiri tentaſtis. Minati eſtis? ſpreuerunt Veneti. Ruiſtis? vlterius progredi Imperatorum virtus prohibuit: pugnaſtis? luctuoſiſſimas de vobis clades conſpexiſtis. Hìc ad Cretæ muros bellicus æſtus deferueſcat, hìc metas habeat furor, hìc ceſſet audacia, hìc ſuperbia cadat, hìc præliorum terminus ſit. Nil vobis conſilium profuit, nil tempus, quo ſenſim credebatis Venetas vires atterere, Nil militum vis, & ſacramentum, nil Chriſtianorum, & Religioſorum defectio, nil locus adeò diſtans à Veneto regimine, quod tamen opportuna ſuppeditat auxilia, quoniam illi cor eſt, quod vel extremas partes à ſe diſſitas fouet. Quamobrem ab hoc improbo tandiu excogitato facinore auocate animum; abijcite ferrum, exuite arma; Ibrahimum damnate, qui ne furorem irritum in Melitam proderet, vertit in Venetos, & imparatam effudit in Cretam vno iure iniuriæ, quam tamen vos per ſummum dedecus ſenſiſtis. Subditi pacem depo-

ſcunt.

ſcunt. Vos date. OMNI quippè regno deſiderabilis debet eſſe tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium cuſtoditur. Hæc mortalium genus reparabili ſucceſſione multiplicat: hæc mores excolit, hæc decora proponit; hæc facultates protendit, hæc ditat Imperia. Animos componite, ſed gratia non ſit malè ſarta, ita duret vt nulla vi reſcindi queat. Exterarum gentium ſeditiones non ita frequenter ſęuient: qui vos metuunt, de veſtro pręlio, & ruinis lætantur. ergo Agite, vt ſeptem Byzantij Turres multiplici reſonent Echo reddentes gaudia pacis, non vt ſolent, tantarum cladium dolorẽ funeſtiſſimũ. Luna Soli propinqua dicitur SILENS. Turcarum arma ad Venetę glorię lumen ſileant in pacis argumentum. Dicantur per omne ęuum. Veneti Heroes ſatis ſpectati honorarium bellicę virtutis retuliſſe victoriam, & pacem, imò PACEM IN IPSA VICTORIA

FINIS.